



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

In Concilium Constantiense oecumenicum, ex parte approbatum,  
ducentorum quinquaginta episcoporum, causa schismatis tollendi  
celebratum annis Domini MCCCCXIV. MCCCCXV. MCCCCXVI. MCCCCXVII.  
MCCCCXVIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

IN

<sup>a</sup> CONCILIVM <sup>b</sup> CONSTANTIENSEANNO  
CHRISTI  
1418.

<sup>c</sup> œcumenicum, <sup>d</sup> ex parte approbatum, <sup>e</sup> ducentorum  
quinquaginta episcoporum, <sup>f</sup> causa schismatis tollendi  
celebratum <sup>g</sup> annis Domini MCCCCXIV. MCCCCXV.  
MCCCCXVI. MCCCCXVII. MCCCCXVIII.

NOTÆ.

Quis Con-  
cilium in-  
dixit.

<sup>a</sup> *Concilium.*] Hanc Synodum a Ioanne vigesimoprimo, vulgo vige-  
simotertio, inchoatam, atque a Gregorio duodecimo, qui verus &  
legitimus pontifex erat, approbatam & confirmatam esse, acta  
Concilii manifeste attestantur. Qua occasione autem indicta, &  
Constantiæ celebrata fuerit, Gobelinus Cosmodromius cap. 90.  
ætatis sextæ refert his verbis: *Interea Ioannes papa Concilium genera-  
le in vrbe celebrare decreuit, quod Alexander prædecessor eius in tertio an-  
no post Concilium Pisanum supradictum decreuerat celebrandum. Sed  
prelatis non venientibus in copia quam rerum poscebat grauitas, il-  
lud Concilium non sortiebatur effectum. Cumque istis temporibus non-  
nunquam litera apostolica, in quibus de Urbano, Bonifacio, Innocen-  
tio, Gregorio, Clemente vel Benedicto per tempora schismatis præterita  
super papatu contendentibus supradictis fuit mentio facienda, statutum  
fuit, vt nullus eorum in dictis literis papa simpliciter, sed cum hac deter-  
minatione, in sua obedientia, nominaretur. Et paulo infra de loco &  
tempore indicti Concilii subiungens ait: Et tunc in mense Decembri  
Concilium in Calendis Nouembris deinde proxime venturis indixit: lo-  
cum tamen Concilii non determinauit. Quapropter duos cardinales ad  
regem Romanorum tunc in Italia moram trahentem, ad concordandum  
de loco destinauit: qui simul in ciuitatem Constantiensem consenserunt.  
Et post hoc papa & rex in Laudensi ciuitate conuenientes, locum eum-  
dem pro Concilio generali celebrando approbarunt.* Hæc Gobelinus præ-  
dicto loco.

Constantia. <sup>b</sup> *Constantiense.*] Sic dictum a Constantia, quæ est vrbs Germaniæ  
sub diœcesi Moguntinensi, sita ad lacum Podamicum, vulgo *Boden-  
see* dictum, ad Rheni eam partem, qua Heluetios respicit. A Con-  
stantio imperatoris Constantini Magni patre, vel a Constantino II.  
Constantini Magni filio muris cincta, indeque nomen sumpsisse pu-  
tatur. Hæc Hadrianus in suo *Theatro urbium*.

œcume-  
nicum.

<sup>c</sup> *œcumenicum.*] Quod propter materiam schismatis tollendi  
vniuersam ecclesiam concernentem indictum fuerat, cuique qua-  
tuor patriarchæ cum archiepiscopis & episcopis infra recensendis  
interfuerunt, œcumenicum fuisse Concilium nulli dubium esse  
debet.

An & quo  
modo sit  
approbatum.

<sup>d</sup> *Ex parte approbatum.*] Quoad ea nimirum, quæ ibidem ad fidem  
pertinentia contra Vuiclesium, Hussum, Matthæum Dresdensem



ANNO  
CHRISTI  
1418.

& Hieronymum Pragensem decreta & promulgata leguntur, vt dicemus infra sessione 45. & vltima. Quæ vero de auctoritate Concilii supra pontificem constituerunt, sententia Florentini & Laterancnsis Conciliorum plane reprobata sunt.

<sup>e</sup> *Ducentorum quinquaginta episcoporum.* ] De numero episcoporum, aliisque nonnullis qui Concilio interfuerunt, ita Cochlæus libro 2. historiae Hussitarum: *Anno Domini 1414. inchoatum fuit Concilium istud, veniente Constantiam primum Iordano cardinale, Ostiensi episcopo, pridie Idus Augusti. Quem e Bononia secutus Ioannes papa XXIII. 5. Calendas Nouembris Constantiam magna celebritate ingressus est, in festo apostolorum Simonis & Iuda, cum cardinalibus nouem: vt iuxta tenorem bulle conuocationis Concilii prima die Nouembris sacra Synodus auctoritate apostolica inciperet de negotiis fidei & ecclesia tractare. Sigismundus rex in vigilia natiuitatis Christi Vberlingam veniens cum coniuge sua, per lacum Constantiensem nauigio properauit inde ad ciuitatem, vt interesset Missarum solenniis. Sub mediam igitur noctem Constantiam ingressus, primam Missam celebrante papa, ipse diaconi habitum indutus, legit euangelium alia voce: Exiit edictum a Cæsare Augusto. Nec multo post aduenerunt alii quoque principes & prelati, in tanta sane frequentia, vt aliquando triginta millia equorum vno eodemque tempore Constantia fuisse tradantur. Adfuerunt namque patriarchæ 4. cardinales 29. archiepiscopi 47. episcopi 160. Et cum his abbatum, prepositorum, priorum, & omnis generis clericorum ingens numerus. Secularium preterea principum, comitum, baronum, nobilium, & oratorum maxima multitudo. Vnus enim Ludouicus comes Palatinus Rheni, & dux Bauariæ, cum 400. archiepiscopus vero Moguntinus cum 600. equis aduenisse legitur. Rex Sigismundus patria misertus & cleri catholici in Bohemia, per fratrem Venceslaum effecit, vt Ioannes Hus sub saluoconductu & fide publica ipsius Sigismundi regis Constantiam in Concilium mitteretur. Hus itaque a Concilio citatus (vt ait Albertus Krantz) non detrectauit venire. Non enim arbitratur, se suis auditoribus & clientibus satisfacere posse, si iudicium recusaret ecclesie. Posteaquam vero Constantia coram Synodo comparuit, dati sunt ei commissarii a Concilio (iam enim propter unionem in ecclesia constituendam papatus renuntiauerat Ioannes XXIII. publice in ecclesia coram rege ac tota patrum Synodo) in sessione sexta, quatuor in theologia magistri, archiepiscopus Ragusinus, pro natione Italica: episcopus\* Flebdiensis, pro natione Germanica: magister Vrsinus Taluenda, pro natione Gallicana; & magister Guillermus Comes, pro natione Anglicana: vt causam eius examinarent, & in illa procederent vsque ad diffinitiuam sententiam inclusiue.*

Inchoatio  
Concilii.

Numerus  
episcoporum.

Luc. 2.

Ingens ce-  
lebritas  
Concilii.

Albertus  
Krantz in  
Vandal. lib.  
10. c. 25.

Commissa-  
rii a Con-  
cilio dati in  
causa Hus.

\* f. Lee-  
dien.

<sup>f</sup> *Causa schismatis tollendi.* ] Ob causam tollendi schismatis hanc Synodum præcipue indictam fuisse patet ex actis Concilii, atque ex iis quæ ex Gobelino & Cochlæo supra recitauimus. Non fuisse hanc Synodum ob Hussitarum hæresim principaliter indictam, Cochlæus initio libri 2. historiae Hussit. his verbis testatur, probat & demonstrat: *Non fuit Concilium Constantiense principaliter ob eam*



heresim vel indictum vel celebratum. Heresim enim illa satis superque confutata & condemnata iam olim fuerat in multis Conciliis contra Berengarium celebratis. Deinde in diuersis Conciliis & Romanorum pontificum decretis, ac sanctorum patrum determinationibus, habitis & promulgatis contra barbariem & hypocrisim indoctæ facis & colluiciei Vualdensium, Leonistarum, Dulcinistarum, Albigenſium, &c. Denique ipsius Vuicleſſi dogmata quamplurima fuerant iam sepe damnata publice, tum in Anglia per Concilium prouinciale, & per determinationem clarissima vniuersitatis Oxoniensis, in qua ferunt ducentos sexaginta articulos eius doctrine damnatos fuisse: tum Roma in Concilio generali sub Ioanne papa XXIII. & Parisiis per almam facultatem theologicam, atque etiam Praga nominatim quadragintaquinque articuli, & quidem multis modis ac seueris eorundem dogmatum prohibitionibus & publicis interdictis, per almam vniuersitatem Pragensem generaliter vno omnium nationum consensu, per totam nationem Bohemicam specialiter, per facultatem theologicam solenniter; atque etiam per regem, per proceres & per senatum in pretorio maioris urbis Pragensis, acriter & cum terribili prohibitionis seueritate. Quid ergo opus erat, nouum propter antiquitus damnatos & nuper publice praiudicatos articulos indicere Concilium? maxime, cum Hus & complices sui dicerent contemptim, Conciliorum decreta humanas esse constitutiones & traditiones, de quibus dicat Saluator Matth. 15. Quare & vos transgredimini mandata Dei, propter traditiones vestras? Non fuit igitur precipua indicendi Concilii causa, heresim & factio Bohemorum, ex Vuicleſſi doctrina exorta, utpote per tot retro sacula longe lateque nota ac pradamnata, atque etiam ab ipsismet Bohemis ante paucos annos praiudicata publice, tum in scholis, tum in pratorio. Vicit tamen patres Sigismundi Romanorum & Hungaria regis instantia & persuasio, petentis atque orantis, ut in Concilio iam congregati Bohemorum saluti consulere, si paucos eorum seductores & heresiarchas, scripturis & rationibus conuictos, in tam celebri doctissimorum hominum conuentu, ad reuocandos errores, & ad ecclesie veritatem pristinam agnoscendam inducerent. Erat enim memor & pietatis paterna, que sic auxerat in Bohemia Dei cultum; & querelarum Sumconis archiepiscopi, qui pro conseruanda patrie religione opem eius paulo ante implorauerat, Vuenceslao fratre per ignauiam cuncta negligente. Ceterum precipua indicendi Concilii causa fuit, grauis ecclesie vniuersalis perturbatio, per schisma de decorosum & abominabile, quod triginta annis pias fidelium mentes male vexauerat, dum cardinalium discordia plures eodem tempore personas in Romanos pontifices eligeret. Eo enim tres dicebantur papa a diuersis. Longo sane tempore durauerat schisma, dum alius Roma, alius Auenione crearetur a cardinalibus papa. Ad quod ab ecclesia tollendum scandalum, cardinales Pisani indixerunt Concilium, ut inter Benedictum XIII. & Gregorium XII. discerneret, vter eorum verus & legitimus esset Petri successor. Vtroque autem contumaciter absente, creatus ab eis fuit Alexander V. quo intra annum defuncto Bononia, electus fuit Ioannes XXIII. Cui adhaeserunt ambo fratres, Vuenceslaus & Sigismundus reges, hic Hungaria, ille Bohe-

Vide ad  
Concili  
Constant.  
ſef. 6.

Petio Si-  
gismundi  
imp.

Schisma  
graue ac  
diuturnum.



ANNO  
CHRISTI  
1418.

Bohemie; uterque insuper regis Romanorum titulum gerens. Quamuis enim Venceslaus depositus esset per electores, tamen quoad vixit, regem Romanorum & Bohemie se scripsit. Pro eo igitur tollendo schismate, Sigismundus Romanorum & Hungaria rex, nondum factus imperator, paternae pietatis amulator, maximos subiit labores & sumptus itinerum. Eius enim rei gratia peragravit primo Italiã, deinde Gallias, Hispaniasque & Angliam. In Italia sane a Joanne XXIII. obtinuit, ut Concilium indiceret Constantia celebrandum, in quo postea effecit, ut reiectis omnibus tribus qui papa auctoritatem sibi arrogabant, vnus legitime in Concilio crearetur papa, Orto cardinalis de Columna, dictus Martinus V. Qua de re sic habet in vita Sigismundi Baptista Egnatius. Illud autem nulla vnquam etas obliuiscatur, quod triennium magnam Europae partem ipse peragravit, dum principes Christianos ac pontifices adit, quo schisma Christiano nomini calamitosissimum tolleretur. Nec alterius principis opera magis enituit in vera pietate vindicanda. Vnde & ex actis illius Concilii facile constat, longe plus fuisse negotii tum patribus, tum principibus in tollendo schismate, quam in confutanda Bohemorum heresi, qua toties confutata fuerat prius. Quippe inter XLV. sessiones eius Concilii (quod triennio duravit) quinque tantum reperiuntur, in quibus de heresi illa tractatum fuisse legitur. Etenim in sexta commissa legitur causa Ioannis Hus quatuor theologiae magistris, & citatus Hieronymus de Praga. In octava damnati leguntur articuli Ioannis Vucleff iam pridem defuncti. In decima quinta damnatus & combustus legitur Ioannes Hus. In decima nona recitatur reuocatio Hieronymi de Praga. In vigesima prima, eiusdem condemnatio. Cetera omnes sessiones illius Concilii alias pertractauerunt materias.

Qua ratione autem schisma diuturnum ab ecclesia profligatum, Hussitarumque haereses, crematis auctoribus, earum condemnatae fuerint, ex actis Concilii aliisque probatis scriptoribus more nostro summam describam.

Actorum  
synodali  
compen-  
diofarcla-  
tio.

Prima sessio quae post accessum Ioannis papae ad quintam No- Sessio I.  
uembri indicta, sed propter emergentes causas dilata fuerat, habita est decimasexta Nouembris anno 1414. in qua post recitatam bul-  
lam conuocati Concilii, notarii, scribae, alique ministri synoda-  
les deputati & constituti fuerunt; monitusque ad resignandum &  
cedendum papatui Ioannes, se id facturum vltro spondit.

Secunda sessio habita fuit 1415. die Martis tertia Martii, indi- Sessio II.  
ctione octaua eiusdem pontificatus, in qua lectis solennitatibus quae  
in sessionibus obseruari deberent, Ioannes papa iurato promisit se  
propter bonum pacis pontificatui promptissime renuntiaturum, si  
idem Gregorius duodecimus & Benedictus decimustertius anti-  
papa facere non recusarent. Quod cum fecisset, eique imperator  
magnas gratias egisset, magno omnium gaudio sacer patrum con-  
fessus secundus finem accepit.

Tertia sessio habita fuit vigesima sexta mensis supradicti, in Sessio III.  
qua Florentinus cardinalis, praemissa quadam adhortatiuncula ad  
episcopos habita de personis in iudicando non accipiendis, iuxta  
Concil. Tom. 29.

O O O O



deliberationem sanctæ Synodi promulgauit, hanc Synodum legitime conuocatam, & Constantiæ inchoatam vsque ad extirpationem schismatis, nequaquam a pontifice dissolui, vel alio transferri posse aut debere: quodque prælatis citra causam iustam a Concilio discedere non liceat.

Sessio IV.

Quarta sessione trigesima Martii eiusdem anni habita, declaratur, Concilii auctoritatem pontificia superiorem esse; ipsique papæ prohibetur, ne personas hic congregatas transferat vel auocet: simulque annullantur omnes processus & censuræ, quas pontifex Concilio adhærentibus intentauerat. Insuper decretum fuit, vt tres iudices de qualibet natione eligantur, qui abeuntium causas diiudicent: & vt pro bono pacis facilius obtinendæ nulli cardinales noui creentur. Ioannes qui interea Constantia discesserat, per literas in publico patrum consensu lectas & ad imperatorem directas nuntiauit, se nullo metu, sed tantum aeris intemperie coactum Constantia discessisse, factæque promissioni adhuc inhærere.

Sessio V.

Quinta sessio habita fuit die Sabbati sexta Aprilis eiusdem anni, in qua repetitis & approbatis constitutionibus quinque præcedentium sessionum promulgatis, declaratum & approbatum est, Ioannem illicitè Constantia discessisse, tenerique eundem sub pœna depositionis adimplere, quod de resignando pontificatu promiserat: quodque recusans Constantiam redire, corporalibus pœnis & vinculis innodari possit ac debeat. Post hæc confirmata est sententia Concilii Romani in Ioannem V uicleffum eiusque libros pronuntiata. In causa autem Ioannis Hus constituti sunt quatuor iudices commissarii, qui assumptis secum theologiæ Canonumque sacrorum peritissimis viris, dogmata illius discutiant, & processum contra eundem dirigant, deque singulis actis postea Synodum informent. Post hæc rogatu Synodi in se recepit rex Sigismundus, quod pontificem in Schaffhausen sub tutela Friderici Austriaci degentem, volentem, nolentem, ad Concilium reducere velit.

De aduentu  
Hus, vide  
Cochleum.

Sessio VI.

Sexta sessio habita fuit præside Ioanne Ostiensi episcopo, in qua de mandato Concilii episcopus Atrebatensis duos articulos edidit. Et primo quidem decreuit, procuratorium super renuntiatione papatus faciendæ esse bonum pro vnione ecclesiæ. Secundo declarauit, prædictum dominum Ioannem papam vigesimum tertium teneri dare & facere dictum procuratorium ad cedendum papatu pro bono vnionis ecclesiæ, iuxta formam schedulæ per ipsum oblata: constituitque sancta Synodus diuersarum nationum legatos, qui taliter a Concilio constituti requirant papam, vt veniat ad Conciliū, afferantque ipsi securitates debitas, quatenus vel ad urbem Constantiæ, vel ad villam Vlmæ, vel ad villam Rauenspurg, vel ad ciuitatem Basileensem accedat, iuretque, vnum de dictis locis eligere infra duos dies, nec ab eo absque consensu Concilii discedere. Insuper quoque decernunt, quod superferri debeat a processu contra papam, donec habeatur responsio: & si præmissa adimpleuerit, cessabitur a citatione. Inhibuit quoque sancta Synodus, ne quis villo modo contra quemcumque in



ANNO  
CHRISTI  
1418.

ciuitate Constantiensi famosos libellos sub pœna carceris conficiat. Mandat vltcrius, literas & missiuas informatorias rerum in Concilio gestarum omnibus nationibus communicari. Post hæc recitatæ sunt duæ epistolæ: quarum alteram vniuersitas Parisiensis ad suos legatos; alteram eiusdem academiæ rector ad episcopos Italiæ transmissit. Ad extremum decreta est citatio contra Hieronymum Pragensem. Plura Gobelinus habet.

Septima sessio celebrata fuit anno 1415. die Iouis 2. Maii, in qua Sessio VII. Henricus de Piro Concilii promotor allegans contumaciam Hieronymi Pragensis citati & non comparentis, contra eum vltcriora decerni petiuit, & impetrauit. Accusata deinceps Ioannis papæ fuga & contumaci absentia, eundem citari, metumque mali alicuius alleganti & prætendenti, saluum conductum concedi obtinuit.

Octaua sessio habita fuit quarta Maii anni eiusdem, in qua post re- Sessio VIII. productam citationem contra sectarios Vuicleffi emanatam, lecta fuit sententia damnationis articulorū quadragintaquinque. Vuicleffum hæreticum fuisse, adeoque ossa eiusdem exhumari & ab ecclesiæ sepultura efferri, nec non libros eiusdem comburi debere, publico decreto est definitum. Cumque hac eadem sessione Fridericus dux Austriæ in gratiam Sigismundi regis recipi optaret, rex vero ob iuramentum præstitum de illo nunquam in gratiam recipiendo, petitioni illius non acquiesceret, synodali sententia definitum fuit, regem allegato iuramento non obligari; eoque non obstante posse ac debere poenitentem Austriacum in gratiam recipere. Qua definitione præuia, rex Sigismundus Friderico Austriaco veniam concessit sub istis conditionibus, vt Ioannem papam ad Concilium reduceret, se suaque dominia regiæ maiestati subiiceret, seque nihil vnquam simile deinceps admitturum esse promitteret. Accepit conditiones oblatas, publico instrumento conceptas, & sigillo suo munitas, Fridericus dux Austriæ.

Sessione IX. quæ habita fuit decimatertia Maii, procuratores Con- Sessio IX. cilio citationis contra Ioannem papam factæ executionem reproduxerunt, accusataque eius contumacia, petierunt commissarios deputari, coram quibus in hac causa testes produci & examinari possent. His peractis, Franciscus cardinalis Florentinus bullam pontificiam recitauit, qua Ioannes papa Petrum Cameracensem & Guillelmum sancti Marci presbyteros procuratores constituit. Cumque illi oblatū munus ex parte recusassent, & Henricus de Piro promotor Concilii dixisset, in causa hac personali & curiali procuratorem admittendum non esse, tandem mandatum fuit duobus cardinalibus & quinque prælatis, vt eundem viua voce extra portam vrbis citarent. Qua re peracta, lecta est epistola vniuersitatis Parisiensis, qua se Concilio commendatam exoptat.

Sessione X. quæ sub præsidio Ioannis patriarchæ Antiocheni cele- Sessio X. brata fuit decimaquarta Maii, anno 1415. ad instantiam Henrici de Piro promotoris Concilii citationem præcedenti die contra Ioannem papam ad suspensionem vsque procedi petentis, requisitus est iterum



extra portas pontifex Ioannes cum suis fautoribus. Cumque facta citationis executione nemo compareret, instante prædicto promotore Concilii Henrico declaratus est contumax; examinatisque testibus super simoniæ, sacrilegii, aliisque quæ illi obiiciebantur criminibus, communi omnium suffragio lata & publice recitata est contra eum sententia, qua ab omni administratione & functione ecclesiastica suspensus fuit.

ANNO  
CHRISTI  
1418.

**Sessio XI.** Sessione XI. quæ celebrata fuit decimaquinta Maii, anno 1415. promotores Concilii plus minus sexaginta crimina articulatim congeſta vna cum designatione testium deſuper examinandorū, contra Ioannem papam exhibuerunt. Quos cum decreto ſynodali Ioannes papa ad reſpondendum ſibi inſinuos accepisset, reſpondit, ſe neque articulos ſibi obiectos negare, neque dicta testium impugnare; ſed potius ſe totum ſynodali iudicio & definitiuæ ſententiæ ſubiicere: oblatam initio papatus ceſſionem voluntariam iterum nunc offerre; Synodum Conſtantiæ legitime congregatam errare non poſſe, libenter profiteri & agnoſcere, adeoque plane obtemperaturum ſententiæ, qualemcumque patres Concilii protulerint & promulgarint: faltem hoc ſe rogare dixit, vt quam poſſet fieri primum, copiam latæ ſententiæ aſſequeretur.

Crimina  
papæ ob-  
iecta ſum-  
matim de-  
ſcribit Go-  
belin.

**Sessio XII.** Sessio XII. habita est vigesima nona Maii: in qua reproductis iis quæ Ioannes papa deputatis a Synodo commissariis super obiectis criminibus responderat, ad instantiam promotorum Concilii lata est contra eum sententia definitiua, qua ille pontificatu deponitur, omnesque Christi fideles ab eiusdem obedientia absoluuntur. Post latam sententiam constitutum fuit, ne quisquam ex tribus schismaticis pontificibus de nouo eligeretur. Sententiam sibi per quosdam a Concilio deputatos inſinuatam Ioannes quondam pontifex approbavit, eique realiter & cum effectu cedendo papatu obtemperavit.

**Sessio XIII.** Sessione XIII. anno Domini 1415. die Sabbati decimaquinta Iunii celebrata, post consuetas preces habitas, promotores Concilii allegarunt, reperiri inter sacerdotes Petrum Dresdensem & Iacobellum Misenſem Ioannis Hus socios, (ita Cochleus) qui laicis non ieiunis post cœnam eucharistiam sub vtraque specie porrectam distribuere, simulque contra antiquissimam ecclesiæ consuetudinem publice docebant, cuilibet etiam laico in participatione, sumptione & communionem huius sacramenti vtramque speciem panis & vini necessario distribuendam esse. Quæ cum ecclesiæ constitutionibus & consuetudinibus repugnarent, eorum petitione ex quatuor nationibus diuersis constituti sunt cognitores iudices, qui habita deſuper deliberatione communi voto & suffragio patrum Concilii, erroneam & hæreticam doctrinam de eucharistia extra sacrificium sub vtraque specie necessario ſumenda damnauerunt, simulque ſacerdotibus omnibus inhiuerunt, ne ſub pœna excommunicationis vlli homini vtramque speciem panis & vini communicent.

**Sessio XIV.** Sessione XIV. quæ habita fuit die Iouis quarta Iulii, Ioannes Dominicus cardinalis sancti Sixti, & Carolus de Malatestis, a Gregorio



ANNO  
CHRISTI  
1418.

XII. ad id constituti, auctoritate eiusdem Gregorii congregatum ob causam tollendi schismatis synodalem patrum confessum approbaverunt. Cumque iudicio patrum intellexissent, magis expedire, ut Gregorius papatum resignet prius, quam hac de causa Benedictus antipapa sollicitetur, pacis conciliandæ gratia, pontificatum quem ille legitima electione acceperat, resignavit. Resignatione ista per Synodum acceptata, patres Concilii cardinales vtriusque obedientiæ uniuersum, atque processus iisdem intentatos, cassos atque irritos reddiderunt. De electione autem noui pontificis constituerunt, ne cardinales citra consensum Concilii hac in re aliquid moliantur, neque tamen ultra finem Concilii electio differatur. Insuper etiam declarauerunt, acta & gesta Gregorii duodecimi rata seruari debere, utpote qui legitime electus, solius pacis gratia pontificatus ultro cessit. Et quamquam dignus iudicaretur, qui denuo post factam resignationem eligeretur: tamen ad maioris schismatis periculum euitandum, illud intermittendum esse sunt protestati.

Sessio XV. sexta Iulii habita, Ioannes Hus de hæresi accusatus Sess. XV. & conuictus, ex carcere in confessum patrum introductus, altoque sedili, ut ab omnibus videri posset, constitutus fuit. Cumque sub pœna excommunicationis & incarcerationis patres Concilii singulis silentium indixissent, Henricus de Piro Concilii promotor & procurator, Hussiticam doctrinam articulatim congestam producens, petiit eandem tamquam prauam & hæreticam vna cum auctore condemnari, eiusque libros igni adiudicari & concremari. Qua petitione præuia, post longam inquisitionem damnatis prædictis hæresibus, combustisque perniciosis codicibus, degradatus est auctor hæreseos; nolensque respiscere, iusto iudicio per rogam & incendium e viuis est sublatus. Circumstantias rei gestæ apud acta Concilii nequaquam extantes plures describit Cochli. lib. 2. histor. Hussit.

Sessio XVI. habita est vndecima Iulii, eaque constituti sunt Sess. XVI. procuratores, qui Benedictum antipapam requirant, acceptisque de resignatione Gregorii duodecimi, & depositione Ioannis vigesim tertii, instrumentis vel eorum copiis, eundem facilius inducant. Potestas citandi eos qui clam se a Concilio subdixerunt, iudicibus deputatis conceditur; & ad instantiam Henrici de Piro contra turbatores, prædones & spoliatores personarum quæ Concilio interfuerant, processus decernuntur.

Sessio XVII. die decimaquinta Iulii celebrata, rex Sigismundus ad regem Aragonum pro inducendo ad resignandum Benedicto Sess. XVII. decimotertio antipapa schismatico profecturus, non nisi plurimis precibus & orationibus Deo commendatus, est dimissus, statuta pœna excommunicationis in eum, qui pia de causa abeuntem impediret. Contra vero quadraginta dierum indulgentiæ concessæ sunt ei, qui pro felici reditu eiusdem regis singulis Dominicis diebus vnam orationem dominicam cum salutatione angelica sub processione hac de causa etiam celebranda oraret. Angelus de Corario quon-



dam Gregorius duodecimus, non tantum in numerum cardinalium est relatus, verum etiam perpetuus legatus a latere in prouincia marchiae Anconitanæ est constitutus.

Sess. XVIII. Sessio XVIII. decimasextima Augusti, editis quibusdam synodalibus constitutionibus, quatuor iudicibus supra nominatis delegata est potestas iudicandi exclusiue vsque ad sententiam definitiuam omnes causas quæ ad Concilium deuoluebantur, quodque corruptores epistolarum synodalium instar eorum qui bullas apostolicas corruerunt, puniri debeant.

Sess. XIX. Sessio XIX. celebrata est vigesimatertia Septembris, in qua Hieronymus de Praga de hæresi accusatus & conuictus, edita fidei professione hæresim suam abiurauit. Franciscanis indultum est, quod teneantur prouinciales approbare, quem fratres communi vel potiore suffragio vicarium siue guardianum sibi elegerunt. Insuper declaratum est a Synodo, non obligari patres Concilii per saluum conductum a sæculari potestate hæreticis concessum, eosque pertinaciter in hæresi permanentes iusto iudicio puniendi potestatem habere. Sitne hæreticis seruanda vel deneganda fides (vt asserunt nouatores nostri temporis) nihil hic est definitum. Inquisitio hæreticorum duobus cardinalibus est demandata, simulque est definitum, eos qui Concilio interessent, omnes beneficiorum fructus iuste acquirere.

Vide Molanum & Sanderum.

Sess. XX. Sessio XX. die vigesimaprima Nouembris celebrata, ad instantiã Gregorii Tridentini episcopi, contra Fridericum Austriae ducem propter inuasa bona & iura ecclesiæ Tridentinæ decretum & executum est monitorium, approbataque sunt duodecim capita Narbonensia, quæ ad extirpationem schismatis Sigismundus, legatque Constantiensis Concilii, vna cum legatis Benedicti decimitertii Narbonæ constituerant. Quorum primo statuitur, qua forma Concilium conuocari, vel potius de nouo intimari debeat. Secundo, quod in eo tantum agendum sit de schismate extirpando, paceque ecclesiæ in eunda. Tertio, quod statim cum corpore ecclesiæ vniri debeant, qui Benedicto adhæserunt. Quarto, quod omnes processus Benedicti sectatoribus & fautoribus intentati annullari debeant. Quinto, vt confirmetur gratiæ per Benedictum quibusuis personis. Sexto, vt cardinales ad electionem noui pontificis tamquam veri & legitimi admittantur. Septimo, officiales Romæ per eundem Benedictum constituti non reiiciantur aut deponantur. Octauo, electio alterius pontificis non aliter quam per Concilium fiat. Nono, vtrimque constitutum fuit, vt si fortasse eiusdem tituli duo cardinales constituti essent, vterque quoad vixerit honorifice tractetur & habeatur. Decimo, vt Benedicto, eiusve sectatoribus ad Concilium venire volentibus, de saluo conductu tutoque itinere per regem & sæculares principes prouideatur. Vndecimo, vt rex Sigismundus, omnesque episcopi ea quæ vtrimque concordata sunt, iuramento firment. Duodecimo, ne denegentur instrumenta pactorum, quibus ea habere voluerit. Quæ duodecim pacis & concordie in-



ANNO  
CHRISTI  
1416.

eunda capitula dum post regem omnes episcopi & legati iuramento confirmassent, finita est sessio vigesima.

Sessio XXI. quæ habita est anno Domini 1416. die trigesima Maii, Sess. XXI.  
Hieronymus Pragensis, post recantatam emissæ professionis fidei palinodiam, de hæresi est condemnatus: traditusque post solitam degradationem potestati sæculari, combustus fuit. Qua ratione vero illud acciderit, pluribus idem refert Cochl. lib. 3. histor. Hussit.

Sessione XXII. decimaquinta Octobris celebrata, legati regis Aragonum ad confessum synodalem intromissi, decretoque patrum debite locati, eas quas de conuocando iuxta initam concordiam Concilio, suppresso nomine Benedicti antipapæ, eius fautores episcopi ad regem Sigismundum scripserant epistolas, recitari procurarunt. Quibus ex ambone recitatis, constitutione synodali legatis regis Aragonum, Castellæ, Portugalliæ & Nauarræ ex gratia & singulari dumtaxat priuilegio pro hac vice tantum est concessum, vt habeant suffragium tantæ auctoritatis, quantum omnium episcoporum suarum prouinciarum valeret. Post hæc impleta sunt ea quæ in capitulis Narbonensibus supra sessione vigesima relatis concordata fuerant.

Sessione XXIII. anno Domini 1416. quinta Nouembris celebrata, constituti sunt duodecim iudices commissarii, qui vel omnes vel pro maiore parte congregati potestatem habeant decernendi & diiudicandi, qua ratione contra Petrum de Luna, siue Benedictum antipapam, vsque ad perfectam schismatis extirpationem procedatur.

Sessio XXIV. habita est vigesima Nouembris prædicti anni, ea- que per commissarios supra commemoratos decreta, lecta & approbata est citatio contra Petrum de Luna emanata.

Sessione XXV. quæ habita est decimaquarta Decembris, comes de Fluxo per procuratores ad id constitutos, ad Concilii vnionem est receptus eo modo quo rex Aragoniæ. Eadem sessione administratio Olomensis ecclesiæ, quæ per obitum Vuenceslai patriarchæ Antiocheni vacabat, decreto synodali commendata est Ioanni episcopo Lutomuslensi, vsque ad noui pontificis electionem.

Sessione XXVI. vigesimaquarta Decembris, ad vnionem Concilii per suos ad hoc deputatos legatos & procuratores receptus est rex Nauarræ eo modo quo rex Aragonum. Ne vero diuersorum legatorum confessus Concilio aliquid turbarum afferret, optimo consilio patres constituerunt, nullum præiudicium cuiusquam dignitatibus & honoribus præiudicari debere, quomodocumque legati regum ac principum in Concilio præsentis federent.

Sessione XXVII. anno Domini 1417. die vigesima Februarii celebrata, facta est relatio executi monitorii nuper contra Fridericum Austriæ ducem, ad instantiam Tridentinensis ecclesiæ contra ipsum emanati: accusataque eius contumacia, ad vltiora est processum.

Sessione XXVIII. tertia die Martii, post vltiores citationes Friderici reproductas, eiusque contumaciam grauissime accusatam, excommunicatus est Fridericus dux Austriæ, donec iura



Tridentinensis ecclesiæ inuasa, eidem essent restituta.

Sess. XXIX. Sessione XXIX. octaua Martii prædicto anno celebrata, in causa contra Petrum de Luna constituti sunt procuratores & notarii. Cumque semel atque iterum citatus idem Petrus de Luna non compareret, iudicio synodali contumax est declaratus, atque vltiores contra eum citationes decretæ fuerunt.

Sess. XXX. Sessione XXX. decima Martii habita, nuntii & oratores Concilii, qui fuerant a Concilio deputati, de executione citationis contra Petrum de Luna, quem in castro Paniscolæ in propria persona conuenerant, relationem fecerunt: approbatumque est factum regis Aragonum, qui se ab obedientia pseudopontificis Benedicti subtraxerat.

Sessio XXXI. Sessione XXXI. Martii trigesima prima, ad instantiam episcopi Astensis ecclesiæ, decretum & ex ambone promulgatum est monitorium contra Philippum comitem Virtutum, qui prædictum episcopum vi armata, manuque sacrilega captum carceribus mancipauerat. Baionensi ecclesiæ, quæ tempore schismatis duos episcopos, alterum a Ioanne vigesimotertio, alterum a Benedicto decimotertio constitutum habuerat, sancta Synodus inhibuit, ne in locum defuncti Petri, qui fuerat de obedientia Ioannis vigesimitertii, alium per electionem sufficiat, vnique Guillelmo, quem Benedictus decimustertius nominauerat, deinceps obtemperet.

Sess. XXXII. Sessione XXXII. prima Aprilis post accusatam contumaciam Petri de Luna, nouissime citatus est viua voce pontifex schismaticus. Cumque nemo eius nomine compareret, mandata est causæ discussio iudicibus commissariis, qui habita potestate eundem peremptorie citandi, testesque examinandi, vsque ad sententiam contra eum procedant.

Sess. XXXIII. Sessione XXXIII. iudices commissarii retulerunt, quod præuia citatione debita, articulos quosdam contra Petrum de Luna oblatos recepissent, eosque probari fecissent; sed nemo eius nomine ad effectum videndi ista comparuerit. Publicatis itaque testium dictis, communicataque illi testimoniorum actorumque aliorum copia, terminum contradicendi peremptorium illi præfixerunt.

Sess. XXXIV. Sessione XXXIV. quinta Iunii, facta est relatio actorum in causa Petri de Luna. Quæ vero sententia in eum ferri ac pronuntiari deberet, singulorum consultationi vsque ad subsequentem sessionem est relictum.

Sess. XXXV. Sessione XXXV. Ioannes rex Castellæ per suos legatos ad id speciali mandato constitutos, iuxta capitula Narbonensia supra recensita, vna cum Concilio vnionem & concordiam iniuit.

Sess. XXXVI. Sessione XXXVI. die vigesima secunda Iulii decreta, lecta & promulgata est citatio Petri de Luna, ad audiendum sententiam priuationis & depositionis auctoritate Concilii proxima sessione promulgandam. Qua peracta, eadem Synodus legatos regis Castellæ a censuris ecclesiasticis absoluit, quibus eos Petrus de Luna innodauerat.

Sessio.



ANNO  
CHRISTI  
1418.

Sessione XXXVII. vigesima sexta mensis Iulii, post reproductas Sess. XXXVII.  
binas Petri de Luna citationes, postque accusatam eiusdem contumaciam, ad petitionem promotoris Concilii lata est in eum sententia definitiua, qua ille pontificatu deponitur, omnesque fideles ab eiusdem obedientia absoluuntur.

Sessione XXXVIII. absolutio legatis regis Castellæ concessa, Sessio XXXVIII.  
ad Henricum infantem aliosque nonnullos extenditur: datumque legatis regis Aragoniæ priuilegium de suffragii sui auctoritate, quam supra commemorauimus, iterum reuocatur.

Sessione XXXIX. pro cuitandis futuris schismatibus constitutum est, vt a fine huius Concilii quinto anno; post illud, septimo; & deinceps decimo quoquo anno generalia Concilia celebrentur: quodque pontifex locum celebrandi Concilii ante finem illius quod habetur, designare debeat, eumque citra iustam causam mutare non debeat. Eadem sessione præscripta est certa formula professionis fidei & iuramenti, quod recens electus pontifex emittere & profiteri debet. Sess. XXXIX.

Sessione XL. quæ trigesima Octobris celebrata fuit, constitutum Sess. XL.  
fuit, quod futurus pontifex ecclesiam in moribus reformare, numerum cardinalium supplere & redintegrare, aliaque præcipue ad reueruationes, annatas, collationes & confirmationes beneficiorum, extirpationem simoniæ, dispensationes, indulgentias & decimas concernentia corrigere teneatur: quodque non obstante absentia cardinalium Petri de Luna, ad electionem noui pontificis procedi debeat.

Sessione XLI. quæ habita est octaua Nouembris anno 1417. post Sess. XLI.  
promulgatam formam a cardinalibus in conclauis existentibus super electione pontificis obseruandam, & a Clemente sexto ante hæc tempora constitutam; post emissâ iuramenta quæ eiusdem decreto præstare tenentur cardinales, vna cum triginta aliis e quatuor nationibus ad id deputatis conclaue ingressi, Martinum V. elegerunt.

Sessione XLII. die vigesima octaua Decembris, lecta & approbata Sess. XLII.  
est quædam bulla Martini papæ vulgo V. qua Sigismundum regem a custodia Baltassaris de Cossa, quondam Ioannis vigesimitertii, prout ille petierat, liberare, vincitumque ad se transmitti volebat.

Sessione XLIII. anno Domini 1418. die vigesima prima Martii Sess. XLIII.  
celebrata, Martinus papa constitutiones nonnullas edidit, quibus ecclesiam, prout constitutum fuerat, in iis quæ ad simoniam, dispensationes, fructuum & decimarum perceptiones, vitam honestatemque clericorum pertinent, emendauit & reformauit.

Sessione XLIV. pro futuri post quinquennium (prout supra statutum fuit) œcumenici Concilii celebratione, designata est ciuitas Sess. XLIV.  
Papiensis.

Sessio XLV. & vltima habita est anno Domini 1418. die Venetiarum Sess. XLV.  
vigesima secunda mensis Aprilis, qua cum pontifex omnia & singula decreta synodalia materiam fidei concernentia approbas-



## 666 MARTINI PAPÆ III. VVLGO V.

set, eaque firma fide teneri ac doceri præcepisset, omnibus & singulis ibidem existentibus suffragio totius Concilii abeundi licentiam concessit.

<sup>s</sup> *Anno Domini.*] Quo tempore Synodus inchoata & finita fuerit, prima & vltima sessione patet. Quando autem indicta fuerit, supra verbo, *Concilium*, ex Gobelino & Cochlæo prolixius enarraui.

VITA MARTINI PAPÆ III.  
VVLGO V.

ANNO  
CHRISTI  
1417.

**M**ARTINVS vulgari opinione huius nominis V. ex illustri Columnensium familia natus, per Innocentium VII. cardinalis creatus, post interregnum biennii, ipso festo sancti Martini anno Domini 1417. tempore Sigismundi factus est pontifex optimus: in quo humanum se maxime, prudentem, iustum, & in omnibus suis actionibus exercitatissimum exhibuit. Legatum qui antipapæ Petri de Luna conatus reprimeret, ablegauit: per quem dum nihil emendaretur, insipienterque in sua opinione perseveraret, ab iis qui partes eius tuebantur, merito defertus fuit. Instituit, vt certis temporum interuallis Concilia celebrarentur, ne antipapæ alioquin occasionem arripientes, Synodos ipsi etiam cogere assuescerent. Rogantibus imperatore & Gallis, vt in Germania remanere vellet, nullo modo acquieuit. In Italiam reuersus, Philippum ducem Mediolanensem cum Pandulpho Malatesta, ac deinde cum Venetis amicitiaæ fœdere religauit. Braccium Mantuanum, qui plurima patrimonii ecclesiæ loca occupauerat, excommunicauit. Verum is postea sanis Florentinorum persuasionibus inductus, sese humiliavit, ac proinde per pontificem in gratiam receptus, sua opera & industria, ecclesiæ stipendiis militans, Bononiam recuperauit. Eodem tempore Martinus Bononiæ existens, a Baltassaro Cossa olim pontifice, salutandi, atque eidem se submittendi causa, inuisitur. A Romanis reuocatus non ante rediit, quam Florentiam metropolitanam declarasset, ecclesias Volaterranam, Pistoriensem & Fiesolensem, auxilii & subsidii loco eidem annectens. Romam veniens tanta cum omnium letitia & exultatione receptus est, vt is dies qui in decimum Ka-